

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1234

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

quoniam, qui parce seminat, parce et metet et, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. cum igitur pauperes leprosi Argentinenses proprias non habeant facultates, unde valeant sustentari, universitatem vestram rogamus, monemus atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatinus  
 5 de bonis a deo vobis collatis pias eis elemosinas et grata karitatis subsidia erogetis, ut per vestram subventionem eorum inopie consulatur et vos per hec et alia bona, que domino feceritis inspirante<sup>a</sup>, ad eterna possitis gaudia pervenire. nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus meritis et intercessione confisi omnibus, qui ad locum predictorum pauperum personaliter  
 10 accedentes aliquam eis elemosinam vel per proprios nuncios miserint, decem dies de injuncta ipsis penitentia nostra auctoritate, qua fungimur, misericorditer relaxamus. datum Argentine anno domini 1234, mense mai.

*H aus Straßb. Hosp. A. lad. 16 fasc. 1 or. mb. c. sig. pend.*

240. *Ulrich der Sanger des Straßburger Domstifts entscheidet in Vertretung  
 15 des Bischofs einen Zehntenstreit zwischen dem St. Arbogastkloster und dem Pfarrer von Lipsheim zu Gunsten des erstern. 1234 Juni 16 Straßburg im Chor des Munsters.*

U[ricus] cantor Argentinensis vices episcopi in judiciis gerens omnibus presentem paginam inspecturis salutem in perpetuum. noverint universi, quod,  
 20 orta<sup>b</sup> controversia inter prepositum sancti Arbogasti et ejus conventum ex una parte et plebanum de Lupoltshem ex altera super decimarum percceptione de nutrimentis videlicet animalium, quas idem plebanus a preposito in eadem villa Lupoltshem coram nobis in judicio requirebat, et dictus prepositus excepcionem prescripcionis opposuisset eidem, interloquendo decrevimus, quod excepcionem eandem a se pro-  
 25 positam probare deberet. qui cum per testes ydoneos intencionem suam legitime conprobasset nec ab adversa parte aliquid fuerit replicatum vel alias oppositum, decimam predictam per diffinitivam sentenciam exigente justicia monasterio sancti Arbogasti adjudicavimus, memorato prefato plebano super hiis silencium inponentes. quare ut premissa debitam obtineant firmitudinem, sigillo nostro sentenciam ipsam  
 30 duximus sollempniter roborandam. acta sunt hec anno 1234, proxima 6 feria post pentecostem in coro Argentinensi, presentibus hiis magistro H[einrico] de Lutenbach canonico majoris ecclesie, preposito de Truttunhusun, deccano sancti Petri, J. cellerario sancti Petri, Gottefrido dispensatore nostro et canonico sancti Petri et aliis quam pluribus.

35 *H aus Straßb. Hosp. A. docum. inut. lad. 18 fasc. 14 or. mb. c. sig. pend. delapso.*

a) bona — inspirante von einer spätern, aber noch dem 15ten Jahrh. angehörenden Hand auf Rasur geschrieben. b) H hortat.